T. Sagittarius
F. Eisenberg.
de anima facultate motiva.

1600.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 180 [14,-195 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 180 [14,-195 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 180 [14,-195 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 180 [14,-195 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 180 [14,-195 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 180 [14,-195 4°]

14.-195. DA BOX
(LN bis 180)

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 180 [14,-195 4°]

EXERCITATIONVM
PHYSICARVM
Ἀγώνισμα
VIGESIMVM

DE ANIMAE FACVLTATE MOTIVA,

Quod

Θεοῦ συνεργοῦντ

Ex consensu & autoritate amplissimæ Facultatis Philosophicæ in alma Ienensium Academia

SVB PRAESIDIO

M. THOMAE SAGITTARII Iun.
Stendalienſis,

subibit

FRIDERICVS EISENBERGIVS
Danus.

Ad diem 25. Martij, hora & loco consuetis.

IENAE

Typis Tobiæ Steinmanni, Anno M. DC.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 180 [14,-195 4°]

Viris

Reverenda pietate, erudita

Doctrina, laudanda gravitate, præ-
stantiſsimis & clariſsimis

Dn. M. CHRISTOPHORO KNOFFIO Concionatori Sereniſs. & potentiſs. Regis Daniæ &c. aulico, & Reverendi Capituli Roſchildenſis Protocantori digniſsimo,

Dn. M. IOHANNI MICHAELI Reverendi Capituli Lundenſis Canonico primario, & Regiæ Scholæ Soranæ in Dania Præſidi & Scholarchæ Vigilantiſsimo,

Dn. tutoribus & Mecœnatibus ſuis nullo non tempore honorandis.

Hoc

Ἀγώνισμα φυσικὸν

Tanquam

Animi grati Παίδαγμα.

Studiorum ſuorum πρόδρομον

Offert

Fridericus Eiſenbergius
Eliæ filius R.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 180 [14,-195 4°]

Θέσις I.

ANimæ ſenſitivæ facultatem apprehenſivam aliquot noſtris ἐξετάσεσι explicavimus: Iam & motiva explicanda. Eſt ergo motiva animæ ſenſitivæ facultas, quæ motus animales in corpore ciet.

II.

Eſtque hæc duplex (a) Ζωτικὴ vel αἰσθητικὴ. Ζωτικὴ eſt, quæ vitæ principium ſequens vitalem virtutem defendit & tuetur.

(a) *Eſt enim hæc motiva vel in vita fovenda & tuenda occupata, vel è ſentiendi principio orta cognitionis ſenſum inſequitur. Illud ζωτικῆς eſt, hoc v. αἰσθητικῆς. Sed iam vita non aptius & melius conſervatur & fovetur, quam ſi calor nativus & ſpiritus retineantur quam integerrimi. Retinentur v. ſi commodu rebus reficiantur & ventilentur. Nihil v. commodius poteſt adhiberi quam aër, cuius tanta omnino eſt neceſſitas, ut ſi denegetur, periculum impendeat præſentiſſimum, & vel mors ipſa ſubſequatur certiſſima.*

III.

Hæc ergò facultas ζωτικὴ in ſpirituum & caloris nativi conſervatione conſiſtit. Illa verò imprimis conſervantur ſpiratione & pulſu. Spiratio πνοὴ eſt aëris inſpirati motio.

IV.

Eſtque 2. Inſenſilis vel ſenſilis. Inſenſilis (a) vocatur perſpiratio διαπνοὴ, eſtque, quæ fit in toto corpore (b) per poros inſenſiles.

(a) *Et per hanc calorem inſitum foveri qui negat, is vel ſoli ipſi & experientiæ obloquitur. Omnia ſunt in noſtro corpore perſpirabilia. Hinc aër etiã illa tranſit, quæ non putaſſes, & quantum malũ ex obſtructione iſtorum pororum oriatur ſæpe, norunt Medici. Quin & multa ani-*

malia, quorum languidus est & debilis calor hac sola contenta vivant. Sic ἔντομα exanguia insectilia transpirant tantum, fœtus in utero non respirat, & hystericarum mulierum quamplurimæ exoluto nativo cordis calore à venenata seminis aura, vivunt ad tempus sola transpiratione contentæ. And. Laur. lib. 3. Anat. c. 12. quæst. 20. (b) Hinc rectè Galen. Com. in lib. de Salub. diæta. ὀνομάζω ἀναπνοὴν τὴν διὰ τοῦ σώματος ἔξωθεν καὶ εἴσω φορὰν τοῦ πνεύματος, διαπνοὴν δὲ τὴν δι' ὅλου τοῦ σώματος ὁμοίως γιγνομένην.

V.

Sensilis vocatur Respiratio ἀναπνοὴ. Respiratio v. est actio (a) qua aër per pulmones (b) cordi (c) inspiratur, & postmodum expiratur (d) ad vitæ conservationem (e).

(a) Et quidem mixta, partim naturalis, partim voluntaria, non secus ac urinæ & fecum deiectio, de qua sic inquit Galen. 6. de loc. affect. c. 4. Errant, inquit, qui urinæ & fecum deiectionem totam ab electione pendere putant, ut etiam qui hoc opus omnino naturale admittunt, utriusq; sanè est particeps utraq; actio. Naturalis est ergò ratione causæ impellentis, voluntaria ratione organorum musculorum scilicet thoracem distendentium & contrahentium. Vide And. Laur. d. l. & quæst. (b) Nec n. attractus aër per nares statim ad cor prorupit ἀθρόως & confertim, sed primum ad pulmones fertur, tanquam ad spiritus promtuarium, id quod ideo fieri asserit Galen. 6. de usu partium. Quia alioqui ob inopiam collecti aëris non possemus diu sermonem continuare, nec mergi in aquam suffocationis metu, nec sine respiratione fumum aut pulverem, aut noxiam aëris qualitatem excutere. Vnde necessum foret vel pestilentem auram intempestivè inspirare, vel omnino nihil inspirantes confestim extingui. Atqui hoc non fit. Sed cor ex fistuloso pulmonis conceptaculo copiosum aërem ducit, eumq; rursus in pulmonem reddit. Vide Fernel. lib. 1. Physiol. c. 8. (c) Ad hoc n. per respirationem defertur aër, non ad cerebrum. Id quod vel hoc testantur Medici, dum læsa respiratione, non cerebro, sed thoraci & cordi remedia adhibent. (d) Fit ergo respiratio hoc modo: Attrahitur aër externus per arteriam vocalem interventu diaphragmatis ad pulmones, bi sese dilatando q. folles aërem attractum in cor effundunt, frigidam ei qualitatem impertientes sed mox reciproca vicissitudine eundem aërem æstu cordis calefactum se contrahendo foras ejiciunt.

Quo

Quo fit ut respirationis duæ sint partes, Inspiratio, qua aër attrahitur, & expiratio qua emittitur. Qui autem fiat quod uno ore & calidum & frigidum possimus efflare docet. Scalig. Exercit. 27. Sect. 2. Fit ergò respiratio à causa efficiente duplici, primaria quæ est ipsa facultas motrix, quæ à cerebro in reliquum corpus influens sensum motumq; efficit, & secundaria seu instrumentaria, ut sunt & deducentia materiam inspirationis, os, larynx, aspera, arteria, excipientia, pulmones & cor, moventia musculi, quorum 65. numerat. And. Laur. d. l. & quæst. (e) Calor enim noster frigidi aëris appulsum continenter desiderat, cuius defectione mox prorsus extinguitur Arist. lib. de Iuvent. & Senect. c. 3. Galen. de usu Respirat. c. 3. Vt n. flamma medicis cucurbitulis, aut angusto conclavi coërcita marcescit: Ita & cum animanti fauces præcluduntur, obturanturq; omnia cutis spiracula, quam mox caloris sequitur extinctio. Fernel. lib. 6. Physiol. c. 16. Quin & nisi excrementa expellatur mirum est quam languescat, & tandem planè intercidat. Respirationis ergò duos agnoscimus fines & usus. Temperationem & expurgationem. Temperatio fuit omnino necessaria. Quia periculum erat ne cor ob perennes motus incendio conflagraret, nisi aëris inspiratu, tanquam flabello quodam ventilaretur. Hinc in balneis, in caldarijs & in æstu vehementi, qui nos regit & moderatur calor, idcirco languet & extabescit, quod frigoris occursatione nequaquam reficiatur. Qui enim nes circumsepit æstus, si immoderatus est, haud secus calorem nostrum, atq; lucernæ flammam foràs evocat, prorsusq; dispergit, nihil aut certè perquam exiguum illius reliqui faciens. Hinc virium infirmitate tentamur & affligimur, intabescimus & ad extremum vitam cum morte commutamus. Fernel. lib. 6. Physiol. c. 16. Neq; v. calor ambiens ex eo duntaxat quod interiorem nostrum dissipet, offensionem infert, verum etiam quod neutiquam refrigeret. Imo v. cor & interiora viscera magis ac magis inflammet, unde propria illorum substantia consumitur, & in pernitiem agitur. Expurgatio v. vel hoc nomine requiritur. Quia nisi continenter expurgaretur calor, nisi vapor fumidus liberum haberet exitum, suffocaretur per oppressionem cor, ut vel maximè apparet in strangulatione. Huius rei est indicium hoc manifestissimum, quod qui sic graviter violenterq; affliguntur, exspiratione allevantur, recreanturq;, estq; ea illis medicina unica, quæ suffocantes halitus atque fumos eijcit. Fernel. d. l. & C. ut & And. Laur. lib. 3. Anat. c. 12. quæst. 20. addunt tertium usum, nimirum nutritionem spirituum. Quæ nutritio si pro vera accipiatur à nobis non admittitur. Aërem n. spiritus

& calorem nativum verè nutrire nondum est quod nobis persuadet. Sed si pro refectione, refocillatione, temperatione sumatur, non est quod illis & aliis hac in parte litem moveamus.

VI.

Pulsus (a) est motus cordis & arteriarum (b) κατὰ διαστολὴν καὶ συστολὴν (c) conspicuus, consequens actionem animæ circa generationem spirituum vitalium (d) occupatæ, ut calor eventiletur & fuligines expellantur.

(a) Quod ipsum Vocabulum non pro quolibet partium aut vasorum motu, ut nec pro palpitatione, tremore, aut convulsione usurpamus, sed propriè pro arteriarum & cordis duntaxat motu. (b) ut testatur Hip. lib. de aliment. c. 7. & Gal. 1. de caus. puls. c. 2. Non v. est motus violentus, aut præter naturam. Est n. perpetuus, & à natura intentus. At nullum violentum diuturnum est, neq; à natura intenditur. Violentum enim ὃ ἔξωθεν ἢ ἀρχὴν μηδὲν συμβαλλομένου τῷ βιαζομένῳ, Arist. 3. Eth. Nic. c. 1. At hic ab interno principio, quod anima. (c) Illæ ipsæ nonnullis partes pulsus constituuntur, unà cum quiete interiecta. Est v. diastole elevatio & distractio instrumentorum pulsus, secundum quam arteriæ ad extra intorquent, & violenter q. carnem digitorum attingentes impellunt & constringunt. Extrema v. cordis, quæ sunt basis & mucro corrugantur & contrahuntur ad invicem, ut sic quoad longitudinem brevius cor mediantibus rectis fibris evadat, latera tamen eiusdem amplientur, expandantur, & sic in latitudine cor crescat pro attractione. Systole v. est subsidentia arteriarum & contractio ad intra, cordisq; secundum latera, mediantibus transversis fibris, contractio, secundum v. longum in extremis pro evacuatione protensio. Dilatatur a. cor non ut constringatur, ut fit in motibus naturæ simplicibus, qui acquisito fine deinde quiescunt. Sed ut aërem & sanguinem attrahat, & rursus constringitur non ut dilatetur, sed ut spiritum confectum distribuat, fuligines expellat. (d) Anima enim nutritiva appetitu suo, qui est instinctus naturæ, gubernatur tam in officialibus, quàm in propriis suis actionibus. Eiusmodi v. officialis actio in corde est spirituum vitalium generatio & distributio per universum corpus. At hi non poterant produci nisi ex sanguine eò accedente. Appetit igitur

igitur naturaliter sub eminentia sua in corde distinctas res, quas tum attrahit, tum à se diffundit, per sua convenientia media & ductus. Illa verò sunt vena cava, quæ sanguinem pro materia generationis spirituum vitalium defert, tum venosa arteria, per quam accedit ex pulmone attractus & præparatus aër pro refrigeratione & recreatione caloris, & rursum pro fumidi vaporis tanquam excrementi expulsione, tum vena arteriosa, per quam sanguis in dextro cordis sinu præparatus ad nutriendos pulmones defertur, & quia sanguinis massa à vitalis spiritus substantia multum adhuc diversa est, & in sublevationem operis præparari debebat & ruditer attenuari, vena cava aperitur in dextrum cordis sinum, in quo & vena arteriosa est sita, ut nempe per eam sanguinis portio iam tum elaborati in substantiam pulmonum deferretur, in sinistro a. sinu producta est arteria magna & venosa, quod in sinu dicto primum perficeretur & generaretur vitalis spiritus cum suis excrementis. Iam v. spirituum vitalium generatio est quædam concoctio, quæ non fit sine magna ebullitione, in qua materia ebulliens incrementum capit, & proinde locum occupat maiorem, atq; idcirco diastole cordis fit manifestior, eamq; consequitur pulsus in elevatione, & rursus ad eiusdem fervoris per aëris advenientiam & contemperationem pulsus consequitur in contractione, ut sic fervor robur agens in elevando quoad conatum, si non in substantia intendat, moles a. membri, & insufflatio aëris frigidioris contractionem vigoret. In arteriis a. duntaxat idem cum corde pulsativus motus animadvertitur, quod in eas impetum faciens sanguis fervidus adveniat, non in venas alias, quæ tamen & ipsæ cordi continuantur. Sed de his omnibus fusius Schola Medicorum, ut & de pulsuum differentijs, quæ si hic tradenda omnes, vel volumen magnum complere poterant.

VII.

Αἰσθητικὴ facultas est, quæ ex sentiendi principio orta cognitionis sensum insequitur.

IIX.

Estque hæc vel appetitiva vel locomotiva. Appetitiva est vis animæ, qua sui conservandi causa inclinatur & fertur

& fertur (a) animal, vel in ſuum bonum, vel averſatur malum (b) prout ipſi ſenſus iudicaverint.

(a) *Ita tamen ut prius à cauſis excitetur certis. Illæ v. ſunt duplices. Internæ ut Venereus ardor & ſtimulus in pudendis ortus ex ſemine, ventriculi maximeq; ſtomachi eximatitio & immoderata ſiccitas ſanguis aut bilis in cordis ſinubus efferveſcens. Externa ſunt, quæ obiectæ ſenſibus illecebris & cupiditatum lenocinijs eos prolectant & irretiunt Fernel. lib. 6. Phyſiol. c. 12. (b) obiectum ergo huius eſt bonum vel malum, quod pro indicio ipſorum ſenſuum vel appetit vel fugit ipſum animal. Appetit ſi bonum, fugit ſi malum, utrumq; vel κατ' ἀλήθειαν vel φαινομένως.*

IX.

Hanc appetitivam inſequuntur animi motiones, quæ vulgò affectus, πάθη vocantur. Sunt a. affectus motus cordis (a) à cognitione obiecti (b) excitati, ut illud vel perſequatur vel fugiat (c) animal, ad vitandam moleſtiam, & iucunditatem perfruendam.

(a) *Quod ipſum eſt γνήσιον ſubiectum affectuum. Vt n. nimia animi intentio inſaniam affert. Ita latitia & triſtitia nimia morte, quod fieri non poteſt niſi hæ commotiones ipſum vitæ fontem rectà peterent & invaderent. Quinimò pulſus eſt inditium cor ab affectibus feriri, ſagitari, concuti. Vide Dn. Philip. lib. de Anima.* (b) *Quæ ipſa eſt cauſa princeps affectuum, & fit per ſenſum & phantaſiam, ubi hæc primum obiecta apprehenſa iudicat, mox ſub conditione boni vel mali, iucundi vel moleſti luſtrat, ſic alteratorum ſpirituum corpuſq; afficientium beneficio appetitiones excitat. Quæ ipſa concitari non poſſent niſi obiecti cognitio præceſſiſſet.*

Nam.

Quod latet ignotum eſt. Ignoti nulla cupido.

Et. ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται τὸ ἐρᾶν. (c) *Propter hoc enim inſiti ſunt nobis à natura, ut quod bonum, iucundũ, utile expetamus, quod malum, moleſtum, inutile fugimus. Quin & hic finis non poſtremus. Debent eſſe quaſi ὁρμαὶ & incitamenta ad actiones. Vt enim aqua ſemper iacens & quieta inſalubris eſt & turbida. Sic animus immotus & torpens inutilis eſt & ſibi & alijs. Quibus poſitis non eſt, quod cum Stoicis neſcio*

quem

quem Lapillum ex adamantina ἀπαθείας materia conflatum introducamus, adeoq; omnes affectus extirpandos esse censeamus. Nec n. omnes vitiosi sunt, id quod probatu facilimum. Quia natura nihil facit frustra Arist & Scalig. passim. At qui affectus natura ipsa indidit, & eorundem organa nostris in corporibus fabricata est. imò Deus sacris in literis præcepit eosdem, ut amorem proximi, coniugu, liberorum, odium vitiorum, eosdemq; præmijs amplissimis exornat. At à summo bono non potest aliquid vel fieri vel conservari non bonum. Scalig. Exercit 307 Sect. 27. Et quî id fieri posit, ut ab eo, qui mera est bonitas prodeat effectum malum? Scal. d. Exercit. Sect. 25. Et affectus sunt in Deo sed tamen eminenter, sunt in angelis, fuerunt in homine ante lapsum, erunt in vita secutura. At in his quis mala inesse dixerit? Boni ergò sunt affectus in suo genere, si non excedant vel deficiant, sed moderati sint. Quod si boni, quod si moderati, eosdem, nec tolli nec extirpari posse nec debere quid probatu facilius? Quia ipse Deus eosdem præcipit. Quinimò si pereant affectus, ipsa virtus pereat necessum est, Quia hæc in affectibus regendis occupatur ut docet fusius. Aristot. 2. Eth. Nicom. non secus ergo tolletur virtus sublatis hisce quam visus si colorem, quam auditus, si sonum tollas omnem. Et quæ non hinc orientur absurda? Plumbeos omninò & ferreos homines habituri sumus. Nam si eorum sapiens immobilis est animo, etiam caudex erit corpore. Neq; n. quicquam officij à me proficisci potest, nisi movear. Si pater excidit in voraginem, dabo manum. Quare? si patria excindatur non propugnabo. Quomodo ero iustus aut liberalis: Scalig. lib. 3. Poët. c. 12. pag. 239. Quis Deum colet? Quis parentes reverebitur? coniugem diliget? liberos proteget? Amicos defendet? Patriam collabentem fulciet, collapsam instaurabit? Breviter. Si affectus concidant & collabantur omnes, Augiæ stabulum omnium vitiorum plenum vix ab Hercule depurgandum habituri essemus certò certius. Sic ergo habe. Non prorsus à virtute sunt removendi affectus, sed si qui mali, illi refrenandi, & ὀρθῷ λόγῳ regendi, & ad μεσότητα tandem reducendi. Neq; enim aliud est ratio in mente humana, qua superantur affectus, quam radij quidam primæ illius lucis, sine qua omnia sanè meritò & dicuntur tenebræ & existunt. Quod si verò hoc sit non introducitur ἀπάθεια illa Stoica, sed εὐπάθεια καὶ μετριοπάθεια.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 180 [14,-195 4°]

X.

Affectus v. habent obiectum vel approbatum vel Improbatum. Approbatum: & quidem hoc vel Animal est adeptum, vel adhuc adipisi debet. Si adeptum, sequitur lætitia. Est v. lætitia affectus, quo animus in bono præsenti acquiescens illud corde spiritibus vibrato & dilatato ad fruendum amplectitur.

XI.

Adipisci debet. Estque spes & amor. Spes est affectus, quo animus corde q. dilatante & præparante se consequendum sibi concipit (a) Amor est affectus, quo animus amatum sibi coaduniri (b) cupit, & unum q. cum eo fieri.

(a) *Atq; hinc est quod nulla spes, qua spes est, tristis est, sed læta Scalig. Exercit. 314* (b) *Quia similia maximè appetunt unionem. Quod n. non est unum, ne est quidem. ita quod à suo simili separatum, videtur & illud defraudare, & ipsum ab illo defraudari essentiæ q. complemento. Quæ igitur duo sunt, atq; unum esse queunt appetunt esse unum. Hoc n. est eorum esse verum. Amans ergo cum amata re unum esse, quoad licet, appetit. Quocirca & hærent, & corpora conserunt & spiritus duos osculorum coniunctione, unus ut sit faciunt. Id quod amoris fundamentum cum putarent esse veteres sapientes, basium Græca voce nominarunt. Scalig. Exercit. 310. Sect. 2. Non tamen hic intelligimus cupidinem illam inordinatam. Hæc n. est appetitus sine iudicio, sine modo, nec honesto fine. Sine iudicio, ut si amem maleficum Cebetem. Sine modo: ut si uxorem amem amore meretritio. Non bono fine, ut si amem quemptam ad pernitiem hostium meorum. Sic dixit impudica Arsinoe incesto fratri: si libet, licet. Scalig. Exercit. 317. Sect. 2.*

XII.

Improbatum qui habent sunt duplices: simplices vel mixti simplices: suntque Tristitia. Metus, Odium. Tristitia (a) est affectus, quo cor percussum obiecto constringitur, premitur, tremit & languefit cum acri sensu doloris.

(a) *Hæc opponitur lætitiæ, & aversatur malum præsens. Eam sic definit Scalig. Exercit. 312. Tristitia est contractio spirituum à re non conveniente ad sua principia. Hæc est ægritudo animum premens, atq; idcirco calorem intus adigit, membra languore deijcit, corpus enervat, & operationes magna ex parte impedit. Quinimo sæpe mortem sed tamen*

lento

lento gradu inducit. Vide Galen. Aphor. 2. com. 28. & 3. com. 31. & lib. 1. de tuenda. Sanit. c. 11.

XIII.

Metus seu timor est affectus, quo cor motu quodam constringitur tanquam fugiens malum (a).

(a) Scalig. Exercit. 312. est demissio animi propter expectationem futuri mali, παρὰ τὸ μετιέναι. Amittitur n. constantia. Hic & ipse intrò & ad principium tum spiritum tum sanguinem abducit ac contrahit, itaq; etiam pulsus arteriarum ijs, qui timent minimi & maximè imbecilles sunt, partes in superficie algent, corpus palleſcit, tremor incidit, vox interrumpitur, & vires denig; percelluntur omnes. Et quidem ob timorem nonnulli repentina morte interierunt, quod scilicet animula sub valido hoc affectu oppressa confertim sit suffocata, ut perspicuè docet Galen. 2. de caus. Symptom. c. 5. Et habentur exempla apud Plin. lib. 7. Nat. hist. c. 36. Ex timore etiam caniciem provenire docet Scalig. Exercit. 312. tum ratione, tum exemplo. Ratione: subducto namq; à pilis alimento calvescimus, vitiato canicies subit. Nempe refrigerato succedit humor non naturalis. Exemplo. Historia, inquit, nostræ tempestatis est sub Francisco Gonzaga Mantuæ principe Is affinem suum suspectum coniurationis cum in turri portæ Cæsareæ ad quæstionem aut supplicium servari iussisset nunciatum est manè totum repentè canum factum. Quod q. prodigium flexit principu animum. Qui ei propterea & venia & vitæ fecit gratiam.

XIV.

Odium (a) est affectus obiectum ingratum fugiens.

(a) Est hoc contrarium amori, utpote appetitus amovendi rem aliquam Amor v. appetitus unionis. Scalig. Exercit. 316.

XV.

Mixti sunt Ira, Zelus, ἐπιχαιρεκακία, &c. (a)

(a) De quibus omnibus & singulis videatur. Scalig. Exercit. 310. 311. 312. 313. 315. & 316. Dn. Philipp. lib. de Anim. tit. quid est potentia appetitiva. Magir. lib. 6. Phys. Peripat. c. 16. Gocl. lib. 6. Disp. Phys. disp. 38. & imprimis Casman. in ψυχολ. c. 27. & 28.

Et hactenus appetitiva, sequitur Locomotiva.

XVI.

Locomotiva est facultas animæ, qua totum corpus de loco in locum transfertur (a).

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 180 [14,-195 4°]

(4) Et v. cietur à causa duplici. Principali, eaq; proxima vel Remota: Proxima, quæ est δύναμις κινητικὴ, quæ motum à Ratione vel phantasia cognitum & imperatum exequitur, & in actum producit. Remota, quæ est vel Ratio vel phantasia, illa quidem in hominibus. Hæc v. in brutis, li et in hominibus potius hæ concurrant, ita ut una alteri subordinetur. Neq; solum loco movetur homo, sed & bestiæ ratione destitutæ. At à quo principio alio, nisi à phantasia? Arist. 3. de Anim. c. 10. t. 48. & lib. de motu anim. c. 5. Instrumentali, eaq; rursum vel generali cerebro. Ab hoc n. nervi oriuntur, ut docet ipsa ἀυτοψία. At per nervos spiritus animales influunt ad unamquamlibet partem, eamq; concitant & excitant. Vel particulari, nervis, musculo, chordæ. Et quidem cietur hoc fine ut obiectum, si bonum, prosequatur, voluptatis & iucunditatis causa, sin malum repudiet & fugiat molestiæ vitandæ gratia. Hic ergò ordo & modus servatur. Obiectum movet sensum, à sensu oritur notitia & cognitio, notitiam sequitur appetitio & rei desideratio, cogniti appetitio vibrat ac ferit cerebrum ac spiritus animales, cerebrum motos spiritus eiaculatur in nervos, spiritus animales transeunt per nervos ad musculos partis movendæ, musculi illi icti & vibrati animali spiritu contrahunt sese & movent versus caput seu initium, contracti iam attrahunt ad sese chordas, chordæ attractæ trahunt & cient membrum cui sunt insertæ, & sic fit motus. Vide Dn. Philip. lib. de Anim tit. quis est potentia locomotiva. Magir. lib. 6. Phys. Peripat. c. 17. Casm. in ψυχολ. c. 29. &c.

Et tantum de animæ Facultate motiva.

Ad

Ad Dn. Reſpondentem.

FRIDERICVS EISENBERGIVS.

ἀναγραμματισθὲις.

RIDE: SI FVGIES, BENE CVRRIS.

NEmpe voluptatum ſunt omnia plena,
Diones
Et multa vibrant ſpicula,
A vero ut Iuvenes deducant tramite recti,
Dolis trahantque devios.
Multa movẽt multos, ſubito qui turbine rapti
Inſtar pudendi pulveris
Ad quemvis ſtrepitũ, & venti ludibria magno
Suo malo mox concidunt.
Nec mirũ: Primo vultu mera mella voluptas
Favosque promittit ſuis,
Inſtar Sirenum, quæ blandâ voce canentes
Ad ſe vocabant navitas,
Sed pòſt incautos vanâ ſpe lactat, & illis
Pro melle fellis plurimum
Aggerit. Aggeſtũ ſequitur mala conſcia fama,
Intusque rodit pectora.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 180 [14,-195 4°]

Scilicet omne nefas ſequitur fataliter angor
Furijs ſuis ultricibus,
Præterit & nunquam claudo pede pœna ſce-
leſtum
Moram rependens pondere.
Tu RIDE, & vanos vanorum temne ſuſurros
Et has voluptates feras.
RIDE. Ridentes vix ulla ſequetur, amicis
Gaudent foveri amplexibus.
SI FVGIES, CVRRIS BENE. Nam
qui gnaviter illas
Fugit, triumphat ocyus.
Sic fuge, ſicque fuga deinceps, FRIDERICE,
ſorores
Abblandientes peſsimè.
Sic benè ſic curres. Currentē ſponte ſequentur
Curſu frequenti Præmia.
Attingit metam nullam, qui deſes & excors
Suis inhærens nidulis
Aſsidet infelix menſæ, expanſoque columbas
Expectat aſſas gutture.
Scilicet advenient, cum retrò Sala recurret
Fontem ad ſuum verſis aquis

M. Thomas Sagittarius
Præſes.

Aliud

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 180 [14,-195 4°]

Aliud

Καλὸν μὲν σφετέρην καλῶς γεγαῶτα γενέθλην
Ουκ ἐκ νωνύμων σεμνολογεῖν προγόνων.
Ιθέσι δ' ἤθεσσιν πολύϊδρεϊ δ' ἐυμαθίῃφι
Κυδαίνειν γενεὰν κῦδος ἄρειον ἔφυ.
Αξιφ οὖν ΦΡΙΔΕΡΗΚΕ πέλῃ πολυφέρτατε δόξης
Εγκονέων κεδνὰν διχθὰ κομεῖν γένεσιν.
Αμφ' ἀρετῇ τρίβεις ἡ τοῖς ὀλίγοισιν ὀπηδεῖ,
Αυτὰρ ἔφυ πυκινῶς ἐν πραπίδεσσι τεΐν.
Ταύτην πρὸς μεγάλην μυσέων παρὰ δῶρα διδαχθεὶς,
Γλώσση καὶ σοφίη πρῶτατά τοι μέλεται.
Ορθιον ἐξ ἥβης ποτὶ τέχνην οἶμον ἐφεῖκε,
Τρυχείην πὲρ ὅμως στείβεαι ὁ τραλέως.
ΤΟΞΟΤΑ εὐφραδέως κλητῆς πολύφημος Ιήνης
Αἶνος σφόδρα μάλα σφόδρα διδάσκει, ὁδόν.
Σπεῦδ' ἄγε λῷστε φίλ' ὡς σπεύδεις μέγ' ὄνειαρ οπίσσω,
Τιμήέν τε γέρας κρήγυα δῶρα, μενεῖ.
Ωδε κλέος δῆρόντε μένειν δεδαῶτάτε πολλὴν
Ιδμοσύνην οἴκους αὖτε νέεσθαι ἑους.
Ωδε μὲν ὄκκα θεος δοίη εὖ οἴκαθ' ἱκέσθαι,
Ευκλείως διάγειν εὐκλεῖ ἐνδὲ πάτρῃ.

Dn. populari & amico meritiſs:
lubentiæ ergò poſuit,
Petrus Lætus Rhand. Cimber.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 180 [14,-195 4°]





Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 180 [14,-195 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 180 [14,-195 4°]